

219 [= 567] Meianei ad portam civitatis CORR. 1563. Mesagne ad sinistram portae oppidi septentrionalis, rep. 1580 PAC.

D · M  
SER · CORNELI  
SER · LIB · SILVANVS  
VIX · ANN · XXXXVI  
5 H · S

Corradus cod. Vat. 5241 p. 576 (inde Manutius orth. 721, 6; ex eo Grut. 971, 5); Pacichelli mem. nov. 2, 93. Interpolavit Pratilli p. 492.

220 a Mesciagna in provincia di Lecce.

D X M A  
Q V E N I E · X A V M M I  
A E S I A E N I L I A E S  
X S E R V A V A L V  
A S T E R P B M



Marini Vat. 9125 f. 111 'datami da M. Courier, che la fece calcare sulla pietra'.

Mesagne apud Capucinos, duo fragmenta.

221 [= 568]

equus sine freno  
FRATRES BENEMERENTES  
S · A ·

222 [= 569]

D · M · E  
N · L · F

Pacichelli mem. nov. 2, 95.

## IX. VRIA (Oria).

Strabo 6, 3, 7 p. 283 viam Appiam a Brundisio inde enarrans primam nominat Uriam (πόλις Ούρία) mediam inter Tarentum et Brundisium; quod confirmat cum Peutingerana (p. 4), ubi corrupte legitur *Urbis* m. p. XXIII a Brundisio, m. p. XX a Tarento, tum Appianus b. c. 5, 58 Antonium narrans a Brundisio profectum ad Uriam (περὶ πόλιν Ὑρίαν) equites Caesaris vicisse. Accedit nomen oppidi antiqua sede episcopali insignis quod nunc est eo ipso loco *Oria*. Fuit autem Uria antiquum caput populi Sallentinorum. Scilicet Herodotus 7, 170 ubi narrat Cretensium in Iapygiam migrationem, eos ait ἐνθαῦτα Ὑρίην (libri Ὑρηδίην vel Ὑρηλίην, sed Ὑρία Stephanus Byz. s. v. et Eustathius ad Dionys. 379 citantes Herodotum) πόλιν κτίσαντας καταμείναι τε καὶ μεταβαλόντας ἀντὶ μὲν Κρητῶν γενέσθαι Ἰήπυγας Μεσσαπίους. Similiter Varro apud Probum ad Vergilii ecl. 6, 31 scribit Idomeneum Cretensem consedisse Locris et oppida condidisse, in *queis Uria et Castrum Minervae nobilissimum* [immo *nobilissima*]. Strabo quoque altero loco 6, 3, 6 p. 282 Uriae (Θυρέαι s. Θυράϊαι libri) in media paeninsula ait cerni regiam vetustam (ἐν ᾗ βασίλειον ἔτι δείκνυται τῶν δυνατῶν τινος), quae licet ipse dubitet utrum Hyria sit Herodoti an potius pro Vereto habenda, dubitari non potest, quin illa opinatio vera sit. Ptolemaeus quod recenset in Calabriae mediterraneis 3, 1, 77 Οὐρητον diversum ab oppido Οὐέρητον Sallentinorum 3, 1, 76, item recte ad Uriam referretur. Denique ex Oria tituli Messapice scripti pari fere numero prodierunt atque ex Aletio Rudiisque; extantque nummi eius non pauci, sed ex acre omnes et systematis unciarum Romani plerique, inscripti item

Messapicis litteris ORRA adiecto praeterea in quibusdam nomine magistratus. Minus certum est, num item huc pertineant qui sequuntur loci Livii et Plinii et gromaticorum. Livius quod ait 42, 48 ad a. u. c. 583 Romanos ex foedere naves accepisse ab Reginis sociis triremem unam, ab Locris duas, ab *Uritibus quattuor*, commode sane ad hanc Uriam licet mediterraneam ita trahemus, ut caput Sallentinorum pro ipsis Sallentinis auctor nominarit. Apud Plinium quod legitur 3, 41, 100: *oppida per continentem a Tarento Varia cui cognomen Apulae Messapia Sarmadium*, id Cluverium secutus olim sic emendavi (*unterital. Dial.* p. 61): *Uria cui cognomen ad discrimen Apulae Messapia*; est enim altera Uria ad Garganum Plin. 3, 41, 103. Ad gromaticos quod attinet, apud Frontinum p. 29, 11 qui invenitur *ager Uritanus in Gallia*, haud scio an non in oppidi nomine erratum sit, sed Gallia posita pro Calabria. In libro autem coloniarum formae melioris cum nominetur p. 211, 2 in Calabria *territorium Varinum*, in recensione interpolata p. 266 inter Apuliae Calabriaeque oppida ordine alphabetico recenseantur agri *Orianus, Varinus, Uritanus*, de iis quid facias, non satis apparet. — Tituli ita comparati sunt, ut quae in iis inveniuntur rei publicae vestigia, ut funus decretum a decurionibus n. 223 et Augustalis n. 224, etiam vico frequentiori agri Brundisini recte conveniant nec certum indicium exhibeant Uritanos sub principibus rem publicam retinuisse.

Praeter auctores communes adhibita est relatio de antiquitatibus Oriae inter Ughelliana cod. Vat. 9141 f. 180, 181.